

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV**

**Weidenfeld, Johann S.**

**Londini, 1684**

43. Aqua Mercurii exaltata Riplei

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

43. Aqua mercurii exaltata Riplei,  
Cap. 12. Philorcii.

Re. **N**igrum nigrius nigro & destilla aquam, & fortifica illam cum pipere, squilla, pyrethro, euphorbio, solatro, anacardo, granis Paradisi, staphisagria & similibus in acuitate. Hoc verò secretum est magnum. sumatur aqua quintæ fortificationis, & destilletur, & ponatur super mercurium, ut natet desuper per spatium duorum digitorum vel trium, & obturato vase, ne respiret, ponatur mercurius in balneo ad solvendum per mensem, quod autem ex eo solutum fuerit, evacuetur in aliud vas & servetur. Nova autem aqua fundatur super mercurium non solutum, & procede, ut supra, sic continuando, donec habeas libram unam mercurii dissoluti. Tunc pone dissolutum simul in balneo per quindecim dies, & post hoc destilla, & quod ascendet, seorsim serva in vase, ne respiret, & super facces remanentes pone novam aquam, & procede per balneum, ut supra, & hoc opus continua, donec totus mercurius exaltetur. Non est autem hoc opus inertium & pigrorum. Vocatur autem ista aqua sic exaltata apud philosophos multis nominibus, est enim *Lac Virginis*, *Aqua roris Mair*, & *Aqua mercurii*.

*Nigrum nigrius nigro* & *vinum phil.* esse synonyma superius probavimus ex *Lullio*; istius aque vel spiritus fortificationem sive acuitationem cum pipere, squilla, &c. docuimus in secundo genere. Mercurius autem, licet sit metallum apertum, satis tamen difficulter dissolvitur in prædicto menstruo secundi generis, quò fortiora autem menstrua vegetabilia simplicia sunt, eò citius etiam solvitur, exemplum habebis in sequenti aqua gloriosa *Lullii*, ubi mercurius dissolvitur spatio sex dierum in cælo *vinoso Lullii*, sexti generis menstruo.

supra

44. Aqua